

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput VI. Dominus illam suaviter mane excitat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

totus transierat in ipsum quem toto corde dilexit, et præ omnibus concupivit. Et tam mira dulcedine replebatur, ut per septimanam dulcedinem illam sentiret.

Item lectionem lectura, dum ad pulpitum inclinaret, apparuit ei speciosus forma præ filiis hominum, puer Jesus, eam circumplectens, et ad se trahens, a quo cum magna difficultate et pœnalitate se erexit; vix lectionem legere poterat.

CAPUT V.

DOMINUS ILLAM JUVAT AD LECTIONEM.

ITEM multoties sibi accidit ut, dum in Matutinis plena Deo in fruitione magna et dulcedine esset, ita ut omnem fortitudinem consumpsisse nec lectionem suam legere posse videretur, diceret ad eam Dominus: « Vade et lege; nam ego te juvabo. » Sicque cum magna constantia lectionem incipiens eam complevit.

CAPUT VI.

DOMINUS ILLAM SUAVITER MANE EXCITAT.

QUADAM autem vice dum ad Matutinorum Evangelium *Exurgens Maria* legeret, tanta illam Dominus gratia et dulcedine infudit, ut a se penitus deficiens lectionem intermitteret, ita ut a choro exanimis portaretur. Cumque

In choro
legens deficit
B. Mechtildis

in lectulum repausanda reclinaretur, rogabat Dominum ut hora competenti eam excitaret. Et ecce in Prima, vidit in visu juvenem pulcherrimum coram se stantem, ex cujus præsentia cor ejus tantam sensit dulcedinem ut inde excitaretur.

CAPUT VII.

DE CURSU ET LABORE DOMINI.

ALIA vice dum ex præcepto post Matutinos dormitum iret, vidit Dominum quasi in sublimi solio residentem, sub pedibus scabellum habentem, et sibi dicentem : « Hic super pedes meos te reclinans, dormi. » Quæ statim obediens, caput super pedes ejus posuit ita ut auris ejus vulnere pedis aptaretur. Tunc audivit vulnus illud quasi ollam ferventem ebullire. Et dixit Dominus ad eam : « Quem sonum dat coquens olla ? » At illa dum cogitaret se nescire, respondit Dominus : « Olla ebulliens semper sonat ac si dicat : « Curre, curre; sic fervens et ebulliens amor Cordis mei semper instigavit me dicens : Curre, curre de labore ad laborem, de civitate ad civitatem, de prædicatione ad prædicationem ; nec unquam quiescere me permisit, donec omnia saluti tuæ necessaria ad finem usque complevi. »

Per vulnus
pedis
Domini
audit anima
sonum
mirificum.